

VINDICIÆ

34. 5. 22

8
261

SILVESTRI II.

PONTIFICIS

MAXIMI.

A

IOSEPHO-MARIA SVARESIO,

Episcopo Vastionensi.



BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
S. PIETRO EMILIE.

Bibliotheca. M. Vastionensis de urbe.

LVGDVNI,

Apud GUILLELMVM BARBIER

Typographum Regium.

M. DC. LVIII.

CVM PERMISSV SUPERIORVM.

VIRIDIA
SILVESTRI II
PONTIFICIS
MAXIMI

LORETHOMARIA SVARESIO
Typographus



LIBRARY OF THE
LORDS OF THE
TREASURY OF THE
EXCHEQUER
LONDON
1850

AM. MC. LXXXV
CUM DAMNATA REPRINORAM



E M I N E N T I S S I M O

& Reuerendissimo Principi,

HIERONYMO GRIMALDO

TIT. SANCTIS. ^{MAE} TRINITATIS

de Monte Pincio S. R. E. Presbytero

Cardinali Archiepiscopo Aquensi, &c.

IOSEPHVS-MARIA SVARESIVS Episcopus Vasion.
Feliciter.

SCRIPSERINT licet plurimi pro vindicanda Innocentia Gerberti, qui Summus Pontifex Silvester II. dictus fuit, aduersus Bemnonis Schismatici, Hereticorumque obgannientium fabulosas calumnias, qua per Orthodoxorum aliquot incuriam serpebant haectenus; non tamen animum despondi, nec absterritus sum quin susciperem tanti, tamque sancti Herois famam sartam, rectorumque tuendam; & in hoc Stadio cum tot validis Ecclesiae Catholicae Propugnatoribus decurrere, meumque Symbolum conferre pro dignitate contenderem. Quid prestiterim, benignè (ut assoles me, meaque respicere) & ex innata solertia, prudentiaque incomparabili, ac rerum omnium notitia competenter iudicabis (Eminentissime Princeps) fauebisque pio conatui, qui ad Te multis nominibus spectat. Imprimis quia tuo in comitatu elaborata est mea ista Lucubratiuncula, cum
quod

quod in quodam Chronico legitur Gerbertus à teneris deuotus
 sancto Benedicto moram traxisse in Cœnobio sancti Florentij
 sito ad Ligerim. Id uerò, quod intrà fines est Andegauensis
 Episcopatus reflorescit tuis auspiciis in dies, commendatum
 Eminentiae Tuae, qua Vigilantia, zeliq̄ue Apostolici exhibet
 in eo luculentissima specimina; quemadmodum in Aquensi
 Prouincia, cui uti meritissimè Archiepiscopus praes, ita
 mirificè, munificèque prodes. Primum insuper è Gallis
 Pontificem Romarum inuidia morsibus appetitum pro tua,
 Gentiliùmque Tuorum (qui pietate non minùs quàm bellica
 uirtute praestantes iamdudum latissimè Dominati sunt in Li-
 guria, & in Narbonensi Gallia, & adhuc in Monaci Ditione
 Supremum obtinent Principatum) ergà Pontificiam Maiesta-
 tem obseruantia, proque tuo in Gallia Regnum (quod Ec-
 clesia Romana Pharetram sanctus Gregorius nuncupauit, &
 Portum, ac Asylum eius Successores experti sunt) flagrantissi-
 mo studiotutari sacra Tua Purpura obiectu, Generosi, & Ma-
 gnanimi Principis opera pretium erit seculis omnibus predi-
 candum. Ut uerò enixè rogo Eminentiam Tuam, ita
 non dubito quin me quoque sibi ex Asse addictum à Theonniis
 dentibus, & à Zoilorum, Aristarchorùmque Obelis seruet ille-
 sum, qui aternum Deum Opt. Max. exorabo ut Tibi faustis-
 mos, prosperrimòsque dilargiatur semper Euentus. Lugduni,
 Nonis Decembrikus M. DC. LVIII.

VINDICIÆ

SILVESTRI II.
PONTIFICIS
MAXIMI.

PERCREBUIT Superioribus temporibus mendacissima fama de Gerberto, seu Gilberto, qui doctissimus Philosophus ætatis suæ habitus pietatem quoque coluit, & maximis auctus fuit honoribus; illū enim malis artibus, & Magicis Præstigiis ad Pontificatum Romanum, qui dignitatum omnium supremus est apex, peruasisse complures scripserunt decepti à Benno impio; blasphemoque Anti Cardinale, qui primus fabulam dedisse creditur, & sparsisse per Orbem terrarum impudenter. Hi fuerunt Marianus Scorus, Sigebertus Gemblacensis, seu potius Galfridus, Vincentius Belouacensis, Martinus Polonus, Ioannes Columna, Wernerus, Sanctus Antoninus, Volaterranus, Platina, Auctor Maris Historiarum, Compendiosæ Compilationis, Nicolaus Gilles, Girard du Haillan, du Plessis Moray, de Serres, & alij passim testaque, lutoque, qui commentum istud, more Andabatarum ruentes, auidè arruuerunt.

Certè qui per sex plus minus Sæcula scripserunt Chronica, vel labori parentes, vel festinantes, mu-

*Ino in Ch.
sub Rober-
to Rege.*

*adan 998.
in Chron.
in Addit.
in Spec.
Historial.
in Chron.
M. S. Vat.
4965.
Fasc. Tép.
sum. Hist.
Comment.
Urban.
Vit. Ponsif.
inter Germ.
Scriptor.*

A tuati

tuati sunt absque delectu, ac sine vlllo examine, quæcumque iam alij antea monumentis Historiarum consignarant, nec librarunt, nec expenderunt, imò illos proni, & quasi præcipites sequuti vltro, quæ occurrerant excrisperunt, suisque operibus inseruerunt, haud animaduertentes, an illi, à quibus ea defumebant, odio perciti, aut pravo affectu in transversum acti chartis illentissent conuicia maleuola, è pure, èque vlceribus erumpentia. Interdum nonnulli Monachi, non Monachis, vel alijs Monachis, inuidebant, & cum è cœtu suo haud lecti fuerant Romani Pontifices, sed ex alio, vel extrà Religiosos Choros, è Cleri proprii gremio, aut etiam abs alijs expetiti, & euocati Ecclesiis, (quia iam diuturnâ possessione præiudicatum videbatur, vt è Monachis, vel ex Ecclesiæ Romanæ sinu assumerentur Urbis Episcopi) liuore suffusi, atque accensi ringebantur, & ad Pontificale Solium euectos traducebant, notabantque scottmatix, turgentisque ambitione aucupabantur auræ popularis iniquiores rumusculos; atque suspicionibus sæpius indulgentes, nixique temerariis iudiciis, & vocibus, è via collectis dicteria conuerrebant, vt in Ioanne 8. in 12. inque 19. & Benedicto 6. 8. & 9. ac plerisque alijs obseruarunt Historiographi melioris Notæ. Quin Monachi à Summis Præsulibus acerbius accepti, & duriusculè, vicissim inuehebantur in ipsos pro arbitrio, cum adrogarent sibi ius Monachi plerumque conficiendorum Chronicorum, singulique in Monasteriis insudarent, ad id muneris selecti, quam licentiam reprimi decuisset. In Republica quidem Romana olim ad solos Pontifices Annalium conscribendorum cura pertinebat, & penes eos id iuris erat. Schismatici præterea, quibus exosi veri Pontifices, permulta illis affingebant crimina, in eosque falsitatum, & iniuriarum plaustra congeriebant Satyris probrosisque Libellis incubuerunt vs plurimum;

maledici competitors, & Aulici ad omnem nequitiam
 proiecti perfrictâ fronte bolum sibi dolentes ereptum è
 faucibus, minimè veriti Divinam Legem, quæ Diis detra-
 here, ac Principi populi idest Pontifici maledicere probi-
 bebat. Captantes igitur Historiographi suprascripti
 diffusas vndique contumelias, èque turbidis, & fœti-
 dis lacunis, haurientes, sua ex illis volumina consar-
 cinarunt, nisi quod eas Religiosiores tentarunt absterge-
 re, aut emollire.

Exodi c.
22. §. 28.
Astor. c.
23. §. 5.

Quàm verò maligna fuerit calumnia excogitata, promul-
 gatâque aduersùs Gerbertum liquidò patefiet, si vitam ip-
 sius integerrimè, sanctissimèque transactam, sceleris purâ,
 expertémque, atque à flagitij, cuius insimulatur vel mini-
 ma labe, suspitionèque alienissimam percurramus, eâque
 velut spèculum morum eius intuentes contemplemur.

CAP. I.

Fuit Gerbertus Gallus, siue oriundus esset ex Aquitania,
 ut ònes ferè produnt, aut ex Aruernia, vti Odo Giffey, &
 Frizonius attestâtur, siue Foroiulij natus in Prouincja Nar-
 bonensî, quod Nostradamus & du Four affirmant, filius
 Agilberti etiamnum infans, ac in fasciis cum adhuc versa-
 retur (sicuti moris tunc erat oblatuS Sâcto Benedicto, pul-
 lâque Monachi veste amictus in Cœnobio Floriacensî ad
 Ligerim in Aurelianensî Diocèse: Gerbertum postea con-
 stat transiisse ad Aureliacense Monasterium apud Aruer-
 nos à Geraldo Comite constructum, dicatùmque Sancto
 Petro, ad cuius vnam census addictus pendebarur, ex-
 rat epistola Gerberti Aureliacensî Monachi ad Gera-
 dum Abbatem, vbi mentio est Liminum Sancti Gerardi,
 ibi Gerbertus liberalibus disciplinis excultus fuit, qua-
 rum tirocniùm posuerat Floriaci, & Poëtreos studium
 probant extitisse Carmina, quæ de Boëthij statua auxit

in Dina
Anicien.
in Gallia
Purpur.
in Hist.
Prou. in
Leotio.
num 71.
Bibliothec.
Cuniacen.
ibi
Quercet,
Vit. §. Ge-
nulf in
Biblioth.
Floriacen.
Sauarõ ex
Origin.
de Clerm.

Extant edi-
ta anno
1596. p.
54. Inter
Epigr. &
Poëmatia
vet.

fapiunt illa nitidiorem venam, & Enthufiasmum Epicum,
Statuam Boëthio excitari iufferat Otho Imperator I I I.
Rauennæ itaque Gerbertus Rauennas Archiepifcopus
poftcâ Romanus Pontifex hæc appinxit metra, quæ
fubijctio, De Boëthio.

Roma potens, dum iura fuo declarat in Orbe,
Tu Pater, & Patria lumen Seuerine Boëthi
Confulis Officio rerum difponis habenas,
Infundis lumen ftudiis, & cedere nescis
Gracorum ingeniu, fed mens Diuina coërces
Imperium mundi, gladio bacchante Gothorum
Libertas Romana perit; Tu Confal, & exul
Infignes titulos præclara morte relinquis;
Nunc decus Imperij, fummus qui prægrauas artes,
Tertius Otto fuâ dignum Te iudicat Aulâ,
Æternumque Tui ftatuit monumenta laboris,
Es bene promeritum meritis exornat honeftis.

Ibidem annectitur & hoc Epigramma tamquam eiuſdem
Gerberti quo luditur lepide in pavementum Hildrici Re-
gis iuffu perfectum, ſtratûmque candido, & niueo mar-
more, pellucidôque. Candida verò marmora niues vo-
citantur à Poëtis; Numatianus in Itinerario de Lunenſi
marmore canit. *Vbi filia Salis.*

Detinet intactus Luxurioſa niues
Sed audiamus Gerbertum,
Hildrici Regis fulget mirabile factum.
Are, opcre, ingenio, diuitiis pretio;
Hinc radios Sol ipſe capit, quos huic dare poſſit,
Altera marmoribus creditur eſſe diei,
Hic ſine nube ſolum, nix inneta, & ſparſa putatur,
Dum ſteſeris, credas nieregere poſſe pedes.

Forſitan erat opere vermiculato, ſeu teſellato incruſta-
tum, & marmora innecti ſolita ære vel ferro in Diatriba
de Foraminibus lapidum adnoſauit.

At illa metra, quæ Bzouius Gerberto (cuius Vitam complexus est singulari Libello) adscribit, Rhythmica sunt & Leonina, omninoque insulsa; neque tantillum redolent Gerberti elegantiam, quæ vberim exundat, ac emicat in eius Epistolis, quæ typis excusæ sunt, & in quibus non Grammaticæ solum, vel Rhetoricæ dedisse illum strenuam operam, inque Oratorem egregium euasisse pernoscimus; sed in Logica quoque (Trivium id appellabant eo sæculo) & Quadrivio incubuisse Matheseos, in Geometria scilicet, Arithmetica, Musica, & Astrologia præcelluisse, quas ad vnguè callebat & alios edocebat. Fertur ad hæc scripsisse de Geometria, de Arithmetica, de Sphæra, de Compositione Astrolabij, Quin opus Gerberti esse dicitur, Dialogus cuius interlocutores ipse, ac Leo Sedis Apostolicæ Nuntius, seu Legatus. Acta quidem Pseudo-Synodi Rhemensis, quæ Gerberto tribuuntur, à Centuriatoribus interpolata suspicor, neque cum Dialogo contuli, quem etiam à Schismaticis adulteratum crediderim, si subsint blasphemix, quæ in Actis reperiuntur & si diversus ab Actis sit Dialogus ille. Episcopus Witziburgensis Gerberti Discipulus ad eum scripsit de Quæstione Diametri super Macrobius Librum ynum, floruitque ad annum Domini Millesimum. Adelboldus Scholasticus Quæstiones Geometricas ad Gerbertum Summum Pontificem direxit, in quibus & figuræ delineatæ sunt, vt quod inertia linguæ occultat (ita scribit Auctor) veritas picturæ aperiat; illas Quæstiones vidi M. S. S. in Bibliotheca Barberina. Horologium in Magdeburgensi Ciuitate construxisse, rectèque constituisse Stella Navararum Duce seu Polari, Arcturo nimirum considerato per fistulam (id est) Tubum, siue Telescopium asseritur à Dithmaro; Hydraulicum Organum Gerbertus Rhemis compegit, & aliud fabricatus est Raucnæ, quod maximo fuit in pretio, vt idem Dithmarus asseue-

*S. Anton.
in Chron.
Simler. in
Indice lib.*

*Collect.
Geometr.
p. 25.*

*Frison in
Gall. Pærip.
S. Anton.*

rat Contemplatores Sumptuariz artis (id est) Arithmetices,
 vel Computi, seu Logarithmi, id est, artis, qua sumptus com-
 putantur, notitia superavit, Abacum Saracenis ele-
 ptum à Gerberto Gulielmus Malmesburiensis te-
 statur; Omnes, verò Scriptores (etsi S. R. E. hostes) Ger-
 bertum; Philosophum fuisse, ac Theologum egregium,
 fatentur & arguunt Epistolæ, quas ille conscripsit.
 Atque istæ fuerunt artes, quibus instructus Gerbertus
 gradum sibi fecit ad honores præcelliores. Præfectus in-
 primis Abbatia Bobiensi, prudenter eam rexit, ac reli-
 giosè administravit. Postmodum, quia Robertum à Pa-
 tre ipsius Hugone Francorum Regè adscitum in Regni
 consortium erudierat, & liberalibus sufficienter imbue-
 rat, atque informarat disciplinis: Hugo Rex unà cum Ro-
 berto (qui ad eò profecerat Gerberto Doctore, cui tra-
 ditus fuerat in Schola Rhemensis, ut eum doctissimum
 Regem Lemouicensis Synodus appelleret) aliquod ut præ-
 mium, ac Minerval persolueret Gerberto, & simul Ar-
 nulphum Carolo Duci Lotharingæ fauentem (vti suspi-
 cabatur) depelleret, atque deturbaret Archiepiscopatu
 Rhemensis. Synodum Episcoporum, siue Conciliabu-
 lum Rhemis cogi curat, in quo Natalium, illegitimorum
 colore quæsitò (erat enim nothus Arnulphus, Filius quip-
 pe Lotharij Francorum Regis è concubina) Arnulphus
 accusatus humani sanguinis à se fusi, prædarum, incen-
 diorum, proditiõis; dignitate motus, & abire iussus ac
 depositus, Seguino tamen Archiepiscopo Senonensi re-
 luctante, ac reclamante, tum Aurelianum ductus, carce-
 ri fuit additus, triennioque detentus. Hæc euenerunt
 anno Christi Nati DCCC. XCII. Gerbertus Arnul-
 pho, vbi Pontificio exutus fuit, sequè ipse abdicauit, Pa-
 trum calculo fuit substitutus; & ad Archiepiscopalem
 Cathedram euectus præbere cepit virtutum suarum indi-
 cia, radiosque pietatis, & doctrinæ diffundere. Sed non
 quieuit

Pap. Mas-
son. l. 3.
Annal. 2.
Franc. p.
211.
Epist.
Gerber. ad
Ostbonem
Cef.
Eginald.
in Auctar.
apud Alm.
Chronol.
Conc. Co-
viol. 8. 992.

quieuit Arnulphus, tertioemque fecit Ioanhem X V.
 Romanum Pontificem, qui Arnulphum se in consulto pro-
 pria sede deiectum molestias carceris pati indigne tulit, &
 quamuis Hugo Rex Pontificē Gratianopolim Ciuitatem
 in confinio Gallix, & Italiae sitam euocaret atque inuitaret
 honorificē, vt de caussa huiuscemodi cognosceret; Ioan-
 nes tamen X V. Leonem misit Abbatem Romanum Mo-
 nasterij sancti Bonifacij, constituitque Sedis Apostolicæ
 Legatum, qui Mosomij (Oppidum est Belgicæ) Synodum
 congregauit anno DCCCCXCV. Indictione viij. die
 4. Non. Iunij, in qua Gerbertus patientissimè auditus,
 cumque orationem suam Leoni scriptam porrexisset;
 Ipse Leo aliam Synodum Kal. Iul. Rhemis habendam
 denuntiat, interim Ioannem Monachum suum, ad Reges
 Francorum deduci iubet, & per Episcopos Gerberto
 mandat, vt a Diuino Officio vsque ad eam Synodum ab-
 stineat. Cal. Iul. Episcopi, qui depulerant Præsulatu Ar-
 nulphum, dixerunt nihil sine Romani Pontificis auctori-
 tate factum, Regis & Synodi Nuntios Romam profectos
 epistolas vtriusque Pontifici obtulisse, sed Crescentij
 opera, qui tunc urbem tenebat, per triduum Palatio seclu-
 sos absque responso rediisse; primæ Synodo interfuisse Se-
 guinum Senonensem Archiepiscopum Apostolicæ Sedis
 Legatum, coram quo Arnulphus per 18. menses bella, se-
 ditiones, Regni dissidia moluens, seipsum, abdicationis
 dato Libello, deposuit; nihilominus à Leone reuocatus
 Arnulphus sedi suæ redditus, pristinoque honori resti-
 tutus est. Gerbertus autem intelligens, quod iniuste Pon-
 tificatum suscepisset, penitentia ductus est, & toties agi-
 tatus, totque perturbatus Sttophas, cum moderationem, ac
 patientiam exhibuisset, & obedientiam Romano Ponti-
 fici, & eius Legato, restitit, & Gallia excessu, seque con-
 tulit ad Othonem Cæsarem, non sine morte Roberti
 Regis.

*Epist. Hu-
gonis Re-
gis apud
Gerbertum*

*Pap. Maj-
son. II.
Aptendiæ
Amoni II.
Kelgald.
n vita
Rob. Reg-*

Complexus

*Frisen. in
Gall. purp.
Nicol.
Gill, Hist.
Franc.
Rubens in
Hist. Ra-
uenn. p.
272. &
274. lib. 6.*

Complexus est Otho peramanter Magistrum suum, nam eius quoque in disciplinam se dederat, & ipsum ob religionem, & doctrinam magni faciens, Rauennatis Ecclesie, tum viduatae, destitutaeque Pastore clauo admo- uendum procurauit anno DCCCC. XCVII. Effulsere tum praeclarae dotes, quibus ornatus erat Gerbertus; nam & pie, laudabiliterque res gessit plurimas, & Concilium habuit, in quo fluentem Ecclesiasticam disciplinam coercuit, & Morum Decreta sanxit saluberrima. In Chronico Pharpensi haec extant, quae opera pretium est, in Epitomen redacta exscribere, ad Gerberti acta penitus noscenda. Hugo Abbas Pharpensis inique ingressus, & Simoniacè agit poenitentia; Othonis Diploma ea de re datum subsequitur seu Sententia promulgata xij. Cal. Octobr, Indiēt. xij. anno i. ii. Pontif. Gregorij V. Papae, per manus Gerberti sanctae Rauennatis Ecclesiae Archiepiscopi, in illa Synodo, in qua Mediolanensi Archiepiscopo Arnulpho nomine Papatu ablatus est in Basilica Beati Petri, quae vocatur ad caelum aureum, & subscripserunt omnes Episcopi, qui aderant.

*in Annot.
Franc.
P. 427.*

Cum annum Rauennae sedisset vnum, inde adniten- te Othone in Gregorij V. Papae demortui, qui Otho- nem propinquitate attingebat, locum iustis Comitibus rite ac de more habitis, Populo postuante Cleri Romani con- sentiētibus suffragiis subrogatus Gerbertus Pontificiū cul- men, quo nullum habet Orbis terrarum angustius, ascen- dit. In fragmento Historiae Aquitaniae, quod Pithæus protulit haec habentur. Otho Imperator III. Gerbertum Archiepiscopum Rauennatem propter summam Philoso- phiam summo amore excolens ordinauit eum Papam, vocauit que nomen eius Siluestrum. Est & versus.

Transit ad R. Gerbertus ad R. post Papa sit R.

Anno DCCCC. XCVIII. Kal. Nouembris. inuit Pontificatum, & dispergere coepit ac dare pauperibus aurum, quod habebat; verum vsu opum Ecclesiasticarum intel- ligens

ligens, nam in cleemosyna sancta operatus est virtutum insignia, vti prodit Helgaldus Floriacensis, & ab eo didicerat Francorum Rex Robertus, cuius profusam erga pauperes liberalitatem recenset amplissimè superscriptus Helgaldus. Eo anno die 24. Nou. theotardus Episcop. Vellauesis siue Aniciensis Ordinatus fuit à Papa Siluestro secundo ex eius Diplomate Odo Gifsey in Diua Aniciense probat.

Anno 999. In Synodo Romana Giselerus Magdeburgensis Archiepiscopus accusatus fuit quòd, Parochias duas teneret, percussus ille Paralyse venire non potuit, resque ad Concilium Prouinciale Germaniæ Primæ posita est, voluit in ea Romana Synodo recitare Imperator Otho, qui Romam venerat, Priuilegium Wormatiensi Ecclesiæ concessum. Certè habitus fuit Conuentus, seu Colloquium ab eodem Othone, cum exiret Vrbe anno eodem 999. Indictione secunda, pro restituenda Republica, nempe Christiana, cum Venerabili Papa Siluestro, quem Coangelicum, Sanctissimum, ac ter Beatum Pharphense Chronicon cognominat, & cum Marchione Hugone, aliisque Optimatibus, sed etiam adnotat alter Chronista Congregatæ Synodo adstitisse in Basilica sancti Petri maiore Siluestrum secundum Papam, cum quo Imperator Consilia sua communicabat, & cum Hugone inclyto Marchione, iusque dixisse, Aderant Ioannes Rauennatis Ecclesiæ Diaconus, & Ioannes Urbis Præfectus.

CAP. II.

ANno 1000. in Vrbe pro ruinis murorum, ac veterum Phanorum lergebant quotidie innumera ædificia Ecclesiarum siue Monasteriorum, è quorum numero tunc Viginti (vt fidelissimus Auctor Arnulphus agens de nouissimo in Urbem Othonis aduentu memorat) à Sanctimonialibus possidebantur, à Monachis XL. à Canonicis LX. exemptis iis, quæ extra Ciuitatem erant, & in

27
Apud du
Four in
Leonio p.
105.
apud Pa-
pir. Mass.
p. 110.
Dithmar.
in Chron.
Chronol..
Coriolan.
Cardinal.
Baron.co
anno in
Annal.
Eccles.
Chronic.
maius
Pharphens.

Chronic.
minus
Pharphens.

Cardinal.
Baron.
eo anno in
Annal.
Eccles.
Nicol.
Gilles in
Annal.
Franc.

aliis Ecclesiis, siue Capellis, quæ in eadem abundarent. Adeo excreuerat Ecclesiarum leges; nam Optati Mileuitani æuo X. L. tantum, & quod excurrebat, Basilicæ numerabantur. Annus iste M. per multis prodigiis, atque exlestibus terculamentis fuerat insignis, Cometæ ferales effulserant, ceciderat ignis è cælo & terræmotibus ita concussa Vrbs, vt etiam Ecclesiæ plures vetustate fatiscientes conciderint penitus. Has Siluester secundus magno studio reparare aggressus Encænia Temploꝝ celebrauit. Quam dolebat olim Metrodorus *μειρομανθ* de vastitate, atque casu ædificiorum Vrbs, quia videbat illa magnif. entiori opere resurgere; tam moestos certum est fuisse Romanæ Ecclesiæ hostes, cum ædes Sacras ampliores, pulchrioresque refici, contuerentur, structuræque Deo dicatæ pro lateritiis marmoreæ reponerentur, quod de profanis gloriabatur Augustus. Verum Siluestri II. studium præcipuum fuit, Ecclesiarum iura tueri facta restaque; ab Othone igitur veniente in Urbem exegit, & euicit vt Ecclesiæ imprimis Romanæ Priuilegia, quæ à Pipino, Carolo Magno, & Ludouico delata fuerant, renonaret, Rhetarij Padeburnensis Episcopi Priuilegia quoque firmavit Calendis Ianuariis, Alieem in Othonis gratiam ad Archiepiscopatum Beneuentanum promouit. Vrbeuetum profectus leges edidit, Cesenam castrametatus obledit teste Petro Damiani. Cum Odilo Auctor Festi Animarum, in quo pro expiandis Animabus sacra fiunt, precésque staro quotannis die, Siluestrum hunc adiens veneratus esset, Siluester illius petentis leges confirmauit, illique consulenti super eo, qui Stephanum Episcopum occiderat, respondit. Confirmauit & constitutiones Cluniacensis almi Monasterij à Guilhelmo conditas, Ademarüs Monachus Sancti Martialis Lemouicensis prodit eius sententiam die Paschatis latam de Grimoaldo Lemouicensi Episcopo quem Widu Comes Lemouicensis captiuum detinuerat.

Habitu

Duplex.
 en l'immen.
 des erreurs
 de Serre
 pag. 109.
 Ciacon.
 Crantz. l.
 3. c. 40.
 metropol.
 Catalog.
 Archi. p.
 Beneuent.
 p. 335.
 Sigon. de
 Reg. Ital.
 lib. 7. p.
 303.
 Card. Per.
 Damian. in
 Odilonis
 vita Bibl.
 Chronic.
 Pharpb.
 Ciacon. p.
 355.

Habitum fuit eodem anno Concilium sancti Dionysij
 prope Lutetiam Parisiorum, cui restituisse dicebatur Ab-
 bo Floriacensis Abbas incitata plebe aduersus Episcopos,
 qui Apologia edita se purgavit, presidebat illi Seguinus
 Archiepis, opus Senonensis, & huius Concilio auctoritas
 à Siluestro II. fuit conciliata, nam Abbo Romam pro-
 perauit. Hoc anno 1000. silentium Inabele miratur Crantzius, ipse
 tamen Romam venisse Othonem Imperatorem III. nar-
 rat & anno 999. & 1000. isto peregrinantem, nam &
 Casinum adiens duas coronas argenteas Sancto Benedi-
 cto ferunt eum obtulisse, ac nullis pedibus Garganum
 Montem Sancto Michaeli Archangelo consecratum, in-
 uisisse, Beneuentanos dein exolum S. Pauli (an & San-
 cti Bartholomæi?) Ossa Romam detulisse, quam contro-
 uersiam dirimendam aliis relinquo in presentiarum. Deni-
 que anno 1101. ex oriente ad compescendos motus Ro-
 mani Populi tumultuantis, infestique Siluestro, fuisse in
 Vrbe Othonem, Natalémque Domini tibi exegisse
 constat; legibus Urbem firmasse & antiquam ad statum
 eam redigere dum conatur, à Romanis, qui arripue-
 rant arma, seditionemque concitabant, & cæcis etiam
 eius militibus obsederant illum in Prætorio, coactum pa-
 cem componere cumque Siluestro egressum rebus pa-
 catis xij. Kal. Februarias versus Lombardiam petrexisse
 Paternum, vbi obiit. Robertus quoque Rex Francorum
 hoc ipso anno Romam aduenit in peruigilio Apostolo-
 rum, Liminæque Sacra ipsorum visitans in Basilica sancti
 Petri super altare posuit Chirographum, seu Schedulam in
 qua Responsorium erat (quod incipit Cornelius Centu-
 rio) Musica ratione notatum, & ab ipso Rege composi-
 tum; plurimas enim Profas ille Rex eruditus constituit
 vt se dignum Siluestri Discipulum exhiberet. Cuius Rex
 Daciæ, seu potius Daniæ & Angliæ Romam præte-
 rea conuenit Christi causa, Sanctique Petri Basilicæ in-
 gentia

Lud. Bail.
 in Addit.
 Concill.
 Auct. Ai-
 moin. hist.
 Franc.

apud iuret.
 in Iuon.

Carnoten.
 Epist.

46.

l. 3. c. 39. &

40. atq; 46.

f. 94. & 98.

Ciacon.
 Sigon.

Volaterr. l.
 3. Chronic.
 Martin. S.
 Antonin.
 Volaterr. ll.

gentia dona religioſè attribuit. Garcia item Abarca Rex Vaſconum, & Aragonum dictus Tremulus Urbem petijt orationis ergò: Quis igitur Iubileum annum fuiſſe tunc dubitet, cum tot illuſtres Peregrini confluerint in Urbem Vototum, & ſupplicandi, Remiſſionumque grãtia. Iubilei enim anni celebritas à Bonifacio VIII. non inſtituta fuit, ſed reſtituta potiùs. Quamvis enim conuolare conſueuiſſent, quicumque Chriſtiano cenſebantur nomine ad Urbem vt Reliquias, & Tumulos Principú Apoſtolorum, & Martyrum, venerarentur ſæpius (vti de Carolo M. Ludouico Pio, Geraldo Comite Aureliaceniſi Eginhartus, & Quercetanus commemorant, alibi que de Iubileis tractans obſeruauit). Centeſimo nihilominus anno frequentius, & denſius ed commeabant, ſiue ad auertendos hominú animos à ſuperſtitione Sæcularú Ludorú, ſiue ad Moſaici Iubilei anni, qui Typus erat Chriſtiani, pietatem exſuperandam. Inſinuat id Bonifacius VIII. ipſe in Diplomate, quo Iubileum indicit, & maiorem concurſum fuiſſe Peregrinorum anno à Chriſto Nato M. CC. ſub Innocentio III. ad Urbem aduentium, & Baſilicas ſacras circumeuntium è testimoniis quorundam, qui ſuperſtites adhuc viuebant, compertum eſt, neque ſub Paſchale II. ad annum 1100. frequentiam illam deſuiſſe ambigendum. Colligitur ſub Silueſtro II. anno ſupraſcripto 1000. exiſtiſſe illam, cum Imperator Otho, Reges Francorum, Anglorum atque Danorum, Aragonumque & Abbates, Virique Principes, & Sanctitate clari Romam petierint, imò & antea Sedente Benedicto IV. ad annum 900. & Leone III. ad annum 800. Quin & ſub Sergio I. ad annum 700. tritum illud iter, ſed conſerioribus cum turbis, facile peruoluentibus Annales Eccleſiaſticos innoteſcet. Iure igitur ſub Silueſtro II. Iubilei feſtiuitatem Romæ celebratam alij iam affirmarunt. Equis ſiſis eſſet ſi perçenſerem quæcunque annis

Blanca. p.
17.

Villorell.
dre.

2. in M.
1100.

1001

1002. & 1003. vsque ad diem 4. Idus Maias gessit Siluester sanctè, prudentèrque Pontificatum gubernans, & Ecclesiam regens per annos 4. menses 6. dies 12. Inter quæ Classicum sacrum aduersus Saracenos cecinisse Bzovius (id asserit) vitam transactâ religiosissimè die illo 4. Idus Maias cõclusisse patet ex Epitaphio, quod Siluestro in Basilica Lateranèse sepulto Sergius I V. qui anno 1009. subrogatus illi fuit post alios, posuit, & incidi sepulchro curauit, moxque subiungam. Lubet enim testimonia priscorum Auctorum de Siluestri I I. variis virtutibus intexere.

*Sigon.
Ciaccon.
Baron.*

CAP. III.

Dithmarus Scriptor grauissimus, qui viuebat in Germania quo tẽpore Gerbertus Sedi Romanę præerat, hæc inquit, Gerbertus natus in occiduis regionibus à puero liberali arte nutritus, & ad vltimum Rhemorù Urbem ad regendum iustè promotus optimè callebat Astro- rum cursus discernere, & Contemplatores Sumptuariæ artis, id est Arithmetices notitiâ superare. Hic tandem à finibus suis expulsus Othonem petiit Imperatorem, & cum eo diu conuersatus in Magdeburg Horologium fecit, &c. vti superiùs retuli.

Helegaldus siue Helegaldus Monachus Floriacensis. Robertus (ait) à Patre traditus Scholæ Rhemenfi ad erudiendum est datus Domno Gilberto, qui cum liberalibus instruxit disciplinis, hic est ille Gerbertus, qui è Monacho Floriacensi Othonis Cæsaris, & Discipuli sui beneficio Pontifex tandem designatus est.

Gulielmus Malmeßburiensis de rebus gestis Regum Angliæ hæc habet. Gerbertus, postea Silvester Papa II. (Ioannis tamen nomen perperam exaratum est, vti deprehendit Seldenus) à Saracenis Abacum rapiens primus regulas dedit, quæ à sudantibus Abacistis vix intelliguntur. Excellebât enim Arabes in Arithmetices stu-

*M. SS. in
Bibliotheca
Papirij
Masson, vt
ipse test.
Annal.
Franc.
lib. 3.
lib. 2. c. 10.
In præfat.
ad Ency-
chium Pa-
triarcham
Ale-
xãdrinum.*

diis, & Logarismo, & Algorithmis cum Articulo Arabico (sicui Almagestum, & Almaniacum efferebant Arabes pro *Μαγιστηριον* & *Μανιακου*, id est Maximo Ptolomæi Opere, atque Lunario, seu Menstruo) Figuræ verò Numerales operationibus Arithmeticis aded accomodatæ, quibus utimur Europæi, quasque Barbaricas appellamus, ab Arabibus olim accepimus non tam multò à nobis aliter quam ab illis formatas etiam num. Præstantissimus ea in Scientia fuit inter Arabas Geber, à quo & Algebra Regula nomen sumpsit.

lib. 5. c. 1.
p. 156.

Crantzius in Metropoli Silvester II. Magus Hispali eruditus &c. Alij (addit) fabulam contemnunt, quod & Ego.

l. 2. p. 272.

274.

in Annall.

Ecclesl. 4.

de Roml 5

Pont. c. 12.

de vit.

Pont. de
Bon.

Stat.

Relig. in

Cronol.

Cencil.

in Crono-

log.

Infinitus essem, si testes omnes adducerem, corumque dicta proferrem, qui Silvestrum II. demonstrant alienum à Magia; satis erit indicare Præcipuos, qui reiciunt, refelluntque falsissimum Bennonis figmentum. In his sunt Rubeus in Historia Ravennate, Cardinales Baronius, & Bellarminus, qui diluunt crimè obiectum, ut Alphonsus Ciaconius, Platus, Coriolanus, Panuinius ad Platinam, Papirius Massonus de vit. Episc. Urbis è Concilio Rhemensis, Glabro, Lamberto Schafnaburgensi, Paulo Æmylio, & Nauclero. Vignerius ipse Sectarius refutavit, Trithemius, Wion, Genebrardus, Coquæus, Galterus, Tursellinus, Opmerus, du Pleix, & Bzouius libello singulari supra scripto, Maturus, Graulina, & alij Historici, atque Theologi.

C A P. IV.

Vita Silvestri II. dilucidè patefacit Innocentiam, confutatque deliria plusquàm anilia commenti, quod hostes S. R. E. maleferiati, nomen tanti Viri maligno dente rodere, famamque carpere cum nisi adinuenerunt, contabescentes

rabescentes nempe inuidia, quæ semper eminentis fortunæ comes est, & omnium sæculorum labes fuit (vti Cicero conqueritur) & quædam macula virtuti, & honori per eam partò inuidere, velle ipsum florem dignitatis infringere, vstique liuore, cum torqueret eos tantæ felicitatis cursus, atque tenor, quo Siluester II. vsus est Diuina indulgentia, vnde illum dilaudare deceret, inde captantes ansam eum vituperandi, mordendique acuerunt linguas, & strinxerunt calamos in probitatis absolutum exemplar, doctissimùmque Philosophum, & Antistitem versatissimum, ac exercitatissimum in Scientiis omnibus Magum fore pronuntiarunt, quasi absque Dæmonis ope Scientias callere, atque ad honores tam citò promoueri nemo posset, peruersè opinantes & iudicantes. Cum Deus Scientiarum sit Dominus, & Luminum Pater; Deoque Regnent auctore Monarchæ, atque à Numine coronentur, Romani præsertim Pontifices, qui Dei personam sustinent, in quorù electione præcipuè Diuina Potentia elucet; nam cuncti fama, spe, veneratione potius destinantur Pontificatui, quàm quem futurum Hierarcham Altissimus velut in occulto tener, & ipse deligit eum, linguis licèt hominum vtatur, quas ad aliud nonnumquam tendentes, in suum vertit obsequium.

Pro Cornelio Balbo.

Petrarcha in Epist.

Cum Archiepiscopatus Rhemensis controuersia discessa fuit, aded ne fuissent abdita tam immania flagitia? Arnulphus Aduersarius eius mores ac studia perferutatus numne illa ipsi imegisset, & exprobrasset? In Concilijs Rhemensibus duobus, inque Mosomièsi, an non quæsitum fuisset de conuersatione. Ignotum non poterat esse iter ad Hispaniam, si Gerbertus ed penetrasset; suboluissent facta, dictaque illius diligenter, & curiosè rimantibus; Hispalensis commoratio, Veritarum Artium professio, fuga, & alij errores paruisent; Lotharingi Principes Arnulphum fouentes non prætermisissent Gerbertum

Handwritten notes at the bottom of the page, including the name 'Gerbertum' and other illegible text.

bertum deferre, atque accusare, scelerumque istorum reum peragere. Leo Legatus manum iniici iussisset, Ioannes XV. Pontifex acerbissimis suppliciis, & exquisitis tormentis plecti, quin rogis impositum, flammisque vetricibus deuotum è medio tolli mandasset, arcere aspectu, prohibere Sacris, nec aditu dignari aut alloquio Imperator, Reges, Episcopi, Clerici, Christianique cultores omnes debuissent? Itane cæcati fuissent vniuersi Magicis fucis, tanta caligine, offusos perstrictosque oculos habuissent? tam spissis in tenebris versati forent, vt nequitiam, præstigiâsque peruidere, ac nosse non possent, iisque cognitis illum in amplissimis, & celsissimis Thronis sedere an permisissent? Otho (inquam) III. Imperator cum è Galliis ad eum Gerbertus migravit ipsùm ne adeo lætus, atque libens excepisset? Sed emne Apostolicam, fontem Sanctitatis, & columnam Veritatis, ita Christus Dominus deseruisset? an Ecclesiam, cui pollicitus est assiduum præsidium, ita dereliquisset, vt pateretur ei præesse Dæmonis mancipium, toleraretque illam à spiritu maligno regi, quam Spiritus sanctus moderatur, & moderabitur ad sæculi vsque Consummationem.

C A P. V.

Quid de sepulcro Siluestri II. diffundente humorè, ac colliquescente, quoties Papa moriturus est, Eruditi sentiant; quàm futilis, vana, & friuola sit hæc obseruatio cordati etiam agnoscunt. Nam marmora multa sudare quotidie cernimus, & hinc natam Niobes, quæ obriquit flendo, & in lapidem induruit lacrymando fabulam pueri sciunt; vt quod de ossium collisione iactatur prænuntia mortis Pontificum, quod è primo Disticho Epitaphij à Sergio IV. politici Siluestro II. malè intellecto promanauit. En illud

*Iste locus Mundi Siluestri membra sepulsi
Venturo Domino conferet ad sonitum:*

Quod

Quod sic explano, nempe, quando Christus mortales diiudicaturus adueniet, Hic locus conferet membra in eo sepulti Siluestri ad sonitum tubæ resonantis; Angelus enim tuba canet, & tunc resurgent mortui ex Apostoli effato. Sequitur

*Quem dederat Mundo celebrem sanctissima Virgo,
Atque Caput Mundi Culmina Romulea;
Primum Gerbertus meruit Francigena Sedem
Rhemensis populi, Metropolim Patria;*

Virginis nomen in hoc secundo Disticho præbuit ansam rumori, quo fingitur Virgo Saracena Hispali Gerberto fauisse, cum reuera significant illum beneficio Beatissimæ Virginis Dei Genitricis in lucem editum, parentibusque ipsam piè inuocantibus concessum. Additur

*Inde Rauennatis meruit conscendere summum
Ecclesia. regimen nobile, sicque potens;
Post annum Romam mutato nomine sumpsit
Vt toto Pastor fieret orbe nouus*

Rectius *Vt toto fieret Pastor in orbe nouus
Cui nimium placuit sociali mente fidelis
Obtulit hoc Casar Tertius Otho tibi:*

*Tempus vterque comit, clara virtute Sophia
Gaudet & omne sequum frangitur omne reum.*

Scitent ista Metra mendis Grammaticis, sæculum namque illud Barbarie velut oppressum paucos protulit Scientiarum peritos Viros, rarique apparebant ingeniu in disciplinis nantes, neque plures erant expoliti Mûsis, aut humanioribus litteris, qui tersè, ac eleganter animorum sensa depromerēt, Latinique sermonis integritatem, ac nitorem seruarent. Phœnix erat Gerbertus Litteratorum, atque Philosophorum, cuiusque Discipuli Otho, quem comptum, & concinnum Poëta prædicat, & Robertus Rex, cuius iam memini, vt & Lotharius, seu Luthericus Archiepiscopus deinde Senonensis doctrina it-

lustris. Gratulari tibi poterat hæc ætas, annorumque cum
 Obiitade caput exserere, reflorescere, ac vernare Litte-
 rarum ætates, seuerioraque studia videbantur, cum Sil-
 uestri obitu fuit obscuratum aurum, colorque optimus
 demutatus, subiit rursus sax, scoria, corruptela eloquij.
 Ex his tamen sordibus colligimus Philosophum eximium,
 qui cum Orhone Sæculum exornaret, fuisse Siluestium, &
 clarissimum lumen, vtrumque simul iubar suum diffudit,
 quin & benignissimum, ac mitissimum. & vnâ iustissimum,
 qui omne sequum, id est malignum (voce minus usurpata
 è qua sequius, id est peius deducitur) reumque frangere,
 & flagitia depelleret, edomaretque. Adiungitur,

Clauigeri instar erat Calorum sede positus,

Terna susceptus cui vice Pastor erat;

Iste, vicem Petri, postquam suscepit, abegit

Lustrali spatio Sacula morte sui,

Obrigit Mundus discussa pace, Triumphus

Ecclesie, nutans dedit quæ requiem;

Serius hunc Loculum mihi pietate Sacerdos,

Esorque suis compsit amore sui;

Qui, quis ad hunc Tumulum deuote lumina vertit

Omnipotens Domine dic Miserere sui.

Obiit anno Dominicæ Incarnationis. M. l. II. Indictione
 prima mensis Maij die xi.

Hactenus Epitaphium, è quo intelligere possumus, quan-
 tum erat, suo fulgore, qui prægrauat Artes infra se positas,
 adeo vt nec ametur extinctus; quamque facile sit cadere
 in linguas obloquentiu, & in stylos maledicorum eos, qui
 sunt Innocentissimi. Eneçabat inuidos Virtus præcellens
 & honor, qui virtutè vestigabat, & vltro ambiebat, & que-
 madmodum illi, qui Ioannæ Papiæ fabellâ concinnarunt
 ipsam Athenis cultum Ingenij cepisse, ac studuisse men-
 titi; cum en, quæ locant eam vno Athenæ deserta, ac
 pænè forent excisa, nec ibi Gymnasia, nec Studia vlla Lit-
 teraria superuerint: Ita qui Gerberto Magiam impo-
 serunt cum Hispali (Ciuitas est Hispaniæ, tunc à Mauris

incessa, & anno tantum à Virginis Partu 1248. die 27. Novembris à Ferdinando primo Castellæ Rege Mauris eiectis recepta). Sortilegiis, & Incantationibus nauasse operam confinxerunt, prauè accipientes, & sinistrè interpretati, quæ tum fortè de illo circumferebantur, & Guilielmus Malmesburiensis recensuit, Gerbertum Saracenis Abacum tenuisse, Arithmetices scilicet notitiam abstrusiorum, quæ apud Arabas recondita delitescerent, & in Abaco depingi solet. Sic ab Hebræis Ægyptij, ab Ægyptiis Græci, à Græcis Latini Scientias acceperunt, & abs his aliæ Nationes omnes hauserunt. At infelicibus illis Sæculis inscitia regnabat, quique docti erant, peritiquæ Mathematicarum disciplinarum, Figuras Geometricas ex Euclidis Elementis delineabant, vel Cæli meatus describebant Radio, dicebantque surgentia Sidera Magiæ infamiâ laborabât apud ignaros, & idioras, audiebantque Necyomantici, idque passim credebatur. Quo pacto (quæso) Gallus, transisset ad Hispanos? Christianus ad Saracenos? Monachus ad impios, & irreligiosos insciis omnibus? ibique Magiam didicisset, diuque perstitisset, idque omnes latuisset? numne redux ab aliis Monachis correptus esset, in eumque Abbates animaduertissent? An illi Otho secundus Imperator, & Hugo Francorum Rex, alijque Viri Principes Gerberto filios suos erudiendos tradidissent? An Gallia, Italia, & ipsa Roma, quæ omnia scit, omniaque audit, & spargit, disseminatque, ac propalat, & vbi nihil ignoratur, sustinuissem Sacris præsidentem Maximo cum Imperio Sacrilegum, & pestiferum hominem? Nugæ sunt, & impiorum, imperitorumque somnia, quæ nullam apud solertes, & doctos, atque sapientes fidem usquam inuenient, imò abs illis iure semper expolentur, ac eliminabuntur. Nomen verò Siluestri II. seu Gerberti abs infamiæ nota vindicatum in dies splendidius, & præclarius apud posteros enicabit.

Vidimus libellum in scriptum *Vindicia Syluestri secundi Pontificis Maximi à IOSEPHO-MARIA SVAREGIO Episcopo Vassonensi*. Cuius materia nullo seculo satis Authori laudandam eruditionem, nomen vero securi absolutam fert approbationem. Sic testatum volumus. Lugduni sexto Kal. Decembris. 1658.


DEVILLE Officialis & Pro-Vicarius Generalis Lugduni.

Veu l'Aprobation cy dessus, le n'empeche pour le Roy que le liure intitulé *Vindicia Syluestri secundi Pontificis maximi à IOSEPHO-MARIA SVAREGIO Episcopo Vassonensi*, soit imprimé & mis au iour par Guillaume Barbier Maistre Imprimeur ordinaire du Roy, avec defiances à tous autres en tel cas requises & accoustumées. Fait à Lyon ce 6. Decembre mil six cents cinquante-huict.

VIDAVD.

Soit fait suivant les Conclusions du Procureur du Roy, ce 6. Decembre 1658.

SEVE.



EIVSDEM
AD E V N D E M.

De Synonymia diuerforum loco-
rum & fluminum.

DIATRIBA
P O S T E R I O R.

Clarissime, ac Eruditissime

NAVDÆE.

PRISCIS quidem scriptoribus condonari poterat, cum *Liguriam* Narbonensis Pro-
uinciae, *Alpes Pyrenæis*, *Rhodanum* Eridano,
Danubium Istro ita miscebant vt confun-
derent; nec enim peruiæ adhuc erant Regiones Orbis,
neque Mari tam facilis patebat aditus, rudibus illis sæ-
culis, vt lustrarentur gentes, & circuirentur terrarum
tractus, atque fluuij & montes qui hos dirimebant si-
gillatim explorarentur & dignoscerentur. *Æschylus* an-
tiquus Tragediarum scriptor in ea, quæ inscribitur
Prometheus Lyomenos, *Herculem* in *Liguria* dimi-
casse aduersus incolas, illicque lapidibus pluisse fabu-
latur, eius versus recensent *Strabo*, *Dionysius Halycar-*
nassæus, & alij complures, floruit *Æschylus* Olympia-
dis 75 anno 9. vt *Eusebius* tradit, id vero certamen in
prouincia Narbonensi contigisse asserunt *Mela*, *Strabo*,
& *Plinius*, campos tamen lapideos, in quibus ista pugna

commissa fuit, locant in Liguria *Solinus*, & *Martianus Capella* recentiores auctores; Hos ut conciliaret *Quinqueranus* Senecæsis Antistites bis conflixisse Herculem contendebat. Verum à Græcis vetustis Salyas dictos Ligures, regionemque Ligusticam appellatam, quam incolunt Massilienses, rectè à *Strabone* fuit obseruatum. *Apollonius Rhodius*, in *δ'. ἄγροναυτικ.* *Stæchadas νήσους λιγύσιδας* vocat, & post ostia Rhodani Ligures memorat, vixit ille Olympiade 159. At ne Poetas tantum laudem, *Aristoteles*, seu quis alius auctor libri *ᾠδὴ θαυμαίας ἀκροσµατ.* Salyas *λιγνὰς, & καλκλιγνὰς*, nuncupat. *Scylax* præterea *Caryandimus* in Geographia, Ligures, & Iberos *μίγηδας* ad Rhodanum vsque, mox Ligures statuit. Hinc *Æschylo*, *Apollonso*, *Scylaci* parcendum ob vetustatem. Sed *Solinum* & *Capellam* quis tueri possit; In tanta luce litterarum, & expolito artibus iam mundo, post tot navigationes & peregrinationes cognita, & enucleata, penitus Europa quis ferat eiusdem Antesignanos? *Luca-*
num in versu,

Et nunc tonse Ligur,

Plinium & *Florum* ut arguuntur à *Casaubono* & *Isaaco Pontano*, nisi forsitan excusare quispiam illos eniratur, quòd ager quidam haud procul Narbone, Liguriæ nomine designatus, adhuc æuo Gregorij Turonensis legatur.

Si Alpes conscendamus eas cum Pyrenæis confusas animaduerto identidem, ita ut Alpes pro Pyrenæis, Pyrenæi vicissim pro Alpibus vsurpentur. *Bassus* in Epigrammate de Germanico:

Οὔρα Πυρραία καὶ αἱ βαθυαχίαι

Ἀλπεῖς

Αἰ Πάριου προχοῆς ἐγγυὲς ὄσο βλίπτει.

Seneca in consolatione ad Heluiam, Pyrenæum transitum Germanorum definit, *Plinius* in Panegyrico ad Traianum Germaniam Pyrenæo Alpibus, aliisque immensis montibus muniri, dirimique dixit. Et qui

Diony

Dionysium Afrum in versibus 288. & 289.

Τοῖς δὲ ἐπὶ Πυρῶν αἰὼν ἄρος ἢ δάματα Κελτῶν

Αγχόθι, πηγῶν καλλιρροῦ ἠελδανοῖο,

Post Germanos intellexisse putat, nempe *Beatus Rhenanus*, cui *Priscianus* interpres fauere videtur. *Ceporinus* tamen in notis. Post Iberos, significare demonstrat, Idem *Rhenanus* lib. 3. *Rer. German.* Pyrenæum montem inter Alpes Reticas quem occupata Rhetia Germani Premicerum denominarint, posuit.

Cato Hispanos Alpinos apud *A. Gellium* commemorat, qui circa Iberum colunt. *Prudentius* in Hymno de sancto Laurentio πρὸ Στεφείων canit.

Nos Vasco Iberus dsuidis

Binis remotos Alpibus

Trans Cottianorum Iuga

Trans, & Pyrenas ninguidas.

Didymum & Verinianum totari priuato præsidio Pyrenæi Alpes molitos narrat *Orosius* lib. 7. *Ausonius* etiam Cap. 40. Alpes pro Pyrenæis accipit vti *Paulinus*. *Quintus Procopius* lib. 1. de Bello Gotthico hæc scribit Ἀλπεῖς ἐν ἄρῃ τῶν Πυρῶν αἰῶ οὔσαι, Ἀλπεῖς ἢ καλῆν. πῶ' ἐν στενοχωρίᾳ διόδοι οἱ θαυτῆ ἀνθρώπωνι νενομίκασι. Addit *Enstathius* in *Dionysium* πειρηγητιῶ, significare Alpes apud Græcos κλεισθεῖν, seu clusuram. hinc Alpium clusuræ *Eginharto* dictæ, sed de Alpium cum Pyrenæis confusione præcepserunt *Lipsius* in Commentario ad *Plinij Panegyricum* & *Ios. Scaliger* *Lectioinum Ausonian.* cap. 16. lib. 2.

Vt *Ρόδανος* & *Εριδανος* confundantur efficit insuper ipsa synonymia. Certe *Ρόδανος* ille apud inferos in *Odyssea Homeri*, nihil aliud quam Occidentalium partium fluuius, quem *Ηριδανον* totidem fere litteris vocarunt alij. Hinc *Eridanum* in *Iberia*, hoc est in *Hispania* esse dixit, eundemque appellari *Rodanum* *Æschylum*, *Euripides* rursus, & *Apollonius* in *Hadriatico* littore confluere *Padum*, & *Rodanum*, vti notat *Plinius* lib. 3. cap. 2. *Hist. Natural.* qui facilis ad veniam errantibus circa

succini natales, in tanta orbis ignorantia. *Pausanias*, qui
 Adriano Augusto imperante clarus fuit, in Attica seu
 lib. 1. Eridanum fines Gallorum perlabi prodit, Phauo-
 rinum Philosophum ortum vrbe Arelatense in Gallia
 Hesperia ad Eridanum *Philostatus* tradidit in vita So-
 phistarum, id est, Rhodanum, ita notat *Alcimus* in L.
 Spadonum D. de verbor. significat. additque putasse
 Græcos Eridanum etiam fluere in Galliam Narbonen-
 sem, & Rhodanum efficere, teste Apollonij *Rhody*
Scholaste in *Α. Αργοναύτ.* ostendit *Orriannus* lib. 3. ἀλι-
 τήχαν Eridanum à Græcis quoque dici, qui apud nos
 Rhodanus est, *Procopius* lib. 1. de Bello Gotthico passim
 Gallias τὰς ἐν τῷ Ἡρμάδου ποταμοῦ & ἕκτος Ἡρμάδου re-
 fert à Francis, Gotthis & Vvisigotthis diuisas possessas-
 que. *Tzetzes*. *Ios. Scaliger* epist. 276 lib. 3. & *Rutgersius*
 cap. 4. lib. 6. Var. Lect. Rhodani, & Eridani synonymiam
 comprobant. Ad Danubium porro gradiendum, qui
 ortus in Germania è iugis Abnobæ montis, vt *Plinius*
 lib. 4. cap. 12. affirmat; *Πλώω δ' ἐν ἰξείης Ἰπτιέλλειαι*
ἱερὸς ἱερός. *Dionysio* Afro auctore in *πενηγ.* è Celtarum
 montibus defluit Danubius, vt scribe *Procopius*. lib. 4.
 de Iustiniani ædific. pag. 84. ἱερός ἢ ποταμὸς ἀρχαῖος
 ἐν Κελτῶν κ' Πυρρῶν πόλιος ῥέει χιζωντιῶν Εὐρώπῳ. *Dio-*
doro Siculo teste. *Casarius* frater Nazianzeni putat Da-
 nubium vnum esse ex Paradisi fluminibus, cum nempe,
 quem sacræ litteræ Phison appellant, licet ineptias opi-
 netur *Orselius* in Thesauro Geographico, *ιλλίους πελάγους*
 vt traiciant Scythæ, narrat *Nicetas* Choniates in Ma-
 nuele Comneno, quia se in tam vastum diffundit
 spatium vt Πέλσος id est, mare videatur, sic Eri-
 danus in ostiis,

Pelago premit arua sonanti,

Virgilio in *Æneid.* accinente, illa 7 maria vocantur
 à *Plinio* c. 16. lib. 3. *Hist.* & ἰπτιὰ πελάγη ab *Ἰπτιέλλοις*,
 vt

vti prodidit *Herodianus* lib. 8. *Hist.* *Seruius* ex *Varrone* eadem ab accolis mare vocitari adnotat. Danubius inquam ita dictus ad *Axiopolim* vsque, vbi nomine mutato appellatur *Ister* auctore *Psolomao*. l. 3. in *μυσίας τῆς κάτω βίος* siue vsque ad *Casarractas* *Strabone* attestante lib. 7. *Geograph.* & lib. 2. Vnde binominem illum vocitat *Silius* *Italicus*, *Eratosthenes* *Istrum* diuisum in Pontum, *Adriamque* confluere sensit, errans cum *coxiis*, qui fluum *Istro* cognominem in *Adriam* exire ab *Istro* diuisum, & nomen *Istris* populis dare, perque illum è *Colchis* reducem *Iasonem* nauigasse credebant. Sed refellit illos *Strabo* lib. 1. Scripserat tamen in libro de portibus *Timagenes* *Istrum* è montibus *Celticis*, siue *Hyperboreis* vocatis, siue *Riphæis* defluere bifariam diuitum; illinc in mare *Euxinum*, inde *Celticum*, perque eius ostium *Argonautas* nauigasse in *Thyrtentiam*. *Natalis Comes* retulit lib. 6. *Mythologiae*: *Istriam* *Italiae* *Prouinciam* cognominatam à *flumine* *Istro* in *Adriam* effluente è *Danubio* amne, eodemque *Istro* ex aduerso *Padi* fauces, contrario eorum percussu, mari interiecto dulcescente plerique dixere falso, & nepos *Cornelius* etiam *Padi* accola, nullus enim ex *Danubio* amnis in mare *Adriaticum* effunditur. Deceptos credo quoniam *Argo* *Nauis* flumine in mare *Adriaticum* descendit, non procul *Tergeste*, nec iam constat quo flumine. *Humeris* transuectam *Alpes* diligentiores tradunt, subiisse autem *Istro*, dein *Sao*, dein *Nauporto*, cui nomen ea causa est inter *Aemoniam*, *Alpe*que exorienti. Hæc *Plinius* cap. 18. lib. 3. *Istrum* fluum *Istriæ* in *Pontum* influere, atque in *Egyptum* *Marcianus Heracleotes* in periegesi autumat. *Danubium* qui iam dictus est *Ister*, per *Istros* emitti *Mela* cap. 3. lib. 2. quem *Ioannes Oluarius* reiicit cap. 1. lib. 2. & *Vadianus* qui de illo agit fuse, vtque *Herodotus* in *Celtis* & *Pyrenæis* iugis *Istrum* oriri sensit, *Volaterran.* libro 4 *Geograph.* hæc recenset, & subiungit *Eustathium* arbitra-
 ri *Istrum* eo tempore liberum habuisse aditum ad ma-

pag. 150.

pag. 112.

pag. 88.

pag. 220.

pag. 39.

pag. 539.

pag. 115.

pag. 86.

pag. 38.

re Adriaticum, postea præclusum, siue alueum muta-
 tum Sed apud *Eustathium* in Commentario ad *ἑρμηνεύου*
 comperi *Aristotelem* sequutum opinionem suprascri-
 ptam quorundam, à Geographo, (ita *Strabonem* καὶ
Ἐρξωλῶ videtur appellare) relatam, scripsisse solos Tri-
 chias pisces è Ponto in Istrum, ex Istro in Adriaticum
 migrare sinum : Itaque liquet quam confusa fuerint
 Liguriæ, Alpium, Pyrenæorum, Rhodani, Eridani,
 Istri, Danubiique nomina, non solum ab antiquis ob
 inscitiam, verum etiam à posteris propter incuriam &
 oscitantiam. Sed modum excedit Epistola & longius
 prouehor æstu quodam amoris abreptus, dum tecum
 confabulari mihi ipse videor, Desinam igitur & si meas
 hæc notulas per *Satyram* quasi collectas tibi gratas
 intellexero, deinceps in his congerendis, Tibique
 suggerendis pergam, at Tu me redamate perge, qui
 Te doctrinæ, virtutis, & Eminentissimi *Mæcenatis* Car-
 dinalis à *Balneo* ergo, amabo æternum. Vale *Vasione*
 Kal, luniis CIO IO CXL.

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]